TABVLA
ET
CONSTITVTIONES

Congregationis Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia, & Reformatorum.

Celebratæ Romæ in Almo Aracælitano Conuentu die 20. Maij 1679.

Præsidente Reuerendissimo Patre P. Ioseph Ximenes Samaniego totius Ordinis Sancti Francisci Ministro Generali vigilantissimo.

Sanctiss. D. N. INNOCENTIO XI. fæliciter regnante.



ROMÆ, Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ. 1680.

Superiorum Permissu, & Priuilegio.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici:

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Vicesg.



Imprimatur.

Fr. Raimundus Capisuccus Sac. Palatij Apost. Mag. Ord. Præd.

Fr. Ioſeph Ximenes Samaniego totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P.N.S.Franciſci Generalis Miniſter, & Seruus.

Vniuerſis Patribus, & Fratribus, Superioribus, & Subditis huius noſtræ Ciſmontanæ Familiæ plurimùm in Chriſto Ieſu dilectis, ſalutem in Domino ſempiternam.



A eſt hominis conditio, vt nunquam in eodem ſtatu permaneat, & cum ad malum prona ſit eius natura, ipſa mutabilitate plerumquè, & à ſtatuta perfectione deficit, & in defectus non præcautos dilabitur. Hinc eis, quibus Religioſorum hominum ad perfectionis apicem directio incumbit, ne dum vtile, verùm perneceſſarium eſt regulares leges inobſeruatas, renouatione inſtaurare, dubias, declarationibus fulciri; & de nouo emergentibus malis, nouis ſtatutis occurrere. Hæc omnia accuratè præſtitit nupèr celebrata Congregatio Generalis huius Ciſmontanæ familiæ in ſuis iuxtà morem, de re Ordinis habitis maturè ſeſſionibus: Quæ vt optatum ſortiantur effectum, ipſa ſimul cum electionum ſerie Vobis intimamus, præcipientes omnibus Prouincialibus in virtute ſanctæ obedientiæ, vt ſinguli in ſingulis ſuæ Prouinciæ Conuentibus ea publicari faciant, & eorum obſeruationi ſedulò inſiſtant; cæteriſq; Fratribus, tàm Prælatis, quàm Subditis, vt eadem provt vnicuique competit, opere compleant, ſub pœnis ibi impoſitis omninò exequendis iniungimus. Dat. Romæ in noſtro Aracælitano Conuentu die 2. Iunij 1679.

Fr.Ioſeph Ximenes Samaniego Miniſter Generalis.

Locus ✝ Sigilli.

De mandato Suæ Reuerendiſſimæ Paternitatis
Fr.Hieronymus Soſa Secret. Generalis Ordinis.

Tabula, & Constitutiones Congregationis Generalis totius Cismontanæ familiæ Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia, & Reformatorum nuperrimè celebratæ in Conuentu S. Mariæ de Aracæli Vrbis, die 20. Maij, Anno Domini 1679.

Sub Assistentia, & Præsidentia Reuerendissimi Patris Fr. Ioseph Ximenes Samaniego totius Ordinis Fratrum Minorum, Generalis Ministri.

Commissarius Generalis.



IN primis expleto, iuxtà Bullam vnionis Leonis X. triennio Commissariatus Generalis Patris Reuerendissimi Francisci Mariæ de Nicolis Cremonensis, Exministri Generalis; Reuerendissimus P. Fr. Antonius à Sancto Ioanne, Lector Iubilatus, ac Prouinciæ S. Angeli de Obseru. actualis Minister Prouincialis, omnium ferè Vocaliũ concurrentium suffragijs, in Commissarium Generalem huius Cismontanæ familiæ, ritè, & canonicè electus est.

Pater, & Diffinitor Perpetuus totius Ordinis.

Reuerendissimus P. Fr. Franciscus Maria de Nicolis Cremonensis Exminister Generalis.

Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana.

Adm. R. P. Fr. Petrus Esporrin, Lector Iubilatus, S. Inquisitionis Hispaniæ, & Supremæ huius Romanæ Vniuersalis Qualificator, Prouinciæ Aragoniæ Pater, & Ordinis Exsecretarius Generalis.

Commissarius Generalis in Curia Romana.

Adm. R. P. Fr. Celsus Maria Billò de Senis, Prædicator Generalis, Lector Iubilatus, & Prouinciæ Tusciæ de Obseru. Minister actualis.

Procurator Generalis Reformatorum.

Adm. R. P. Fr. Bernardinus de Bissiniano continuatur.

Diffinitores Generales.

R. A. P. Fr. Hieronymus à Velitris Lector Iubilatus, & Prouinciæ Romanæ de Obseruantia Minister actualis.

R. A. P. Fr. Ioannes à Stronconio Theologus, & Prouinciæ Obseru. S. P. N. Francisci Minister actualis.

R. A. P.

R.A.P.Fr.Bonauentura à Iuliano Sacræ Theologiæ Lector, Prou.Reform.Terræ Laboris Exminister.

R.A.P.Fr.Cyrillus à Seniga Concionator Generalis, Prouin. Obseru. Brixiæ Minister actualis.

R.A.P.Fr.Baltassar à Messana Lector Iubilatus, Prou. Obser. Siciliæ Exminister,& in Regno Siciliæ S.Officij Consultor.

R.A.P.Fr.Petrus Antonius à Nereto Lector Iubilatus,& Prouinciæ Obser. S.Bernardini Minister actualis.

R.A.P.Fr.Narcisus Hietel Lector Iubilatus,& Prou. Reform. Austriæ Exminister.

R.A.P.Fr.Ioannes Baptista Gherzius à Genua Lector Theologiæ,& Prou.Reform. Ianuensis Exminister.

R.A.P.Fr.Fortunatus Hueber Concionator Generalis, & Prouinciæ Reform. Bauariæ Minister actualis.

R.A.P.Fr.Ioannes Baptista Cattaneus Lector Iubilatus, Prou. Obseru. Bononiæ, & Exsecretarius Generalis.

Guardianus Ierosolimitanus, & Terræ Sanctæ Custos.

R.A.P.Fr.Petrus Marinus Sormanni Lector Generalis,& Prouinciæ Obseru. Mediolanensis Pater.

Sacræ Theologiæ Studia in Ordine ad Iubilationem, iuxtà Constitutiones Apostolicas Clemen. VIII. ac Vrbani VIII. & Lectores Generales pro Cismontana Obseruantiæ familia.

In Conuentu S. Mariæ de Aracæli.

P.Fr.Angelus de Brixighella.

P.Fr.Ioannes Antonius à Panormo.

P.Fr.Matthæus a Messana.

In Conuentu S. Francisci Perusij.

P.Fr.Stephanus à Bettona.

P.Fr.Franciscus à Burgo S. Sepulchri.

P.Fr.Ioseph à Tiferno.

In Conuentu S.Mariæ Nouæ Neapolis.

P.Fr.Franciscus de Suessa.

P.Fr.Angelicus à Neapoli.

P.Fr.Ioannes Iacobus Romanus.

In Conuentu Omnium Sanctorum Florentiæ.

P.F.Ioseph Maria de Ponseuio.

P.Fr.Gabriel Maria à Senis.
P.Fr.Fabius de Foroliuio.

In Conuentu Sanctissimæ Annunciationis Bononiæ.

P.Fr.Bonauentura à Fauentia.
P.Fr.Franciscus à Mutina.
P.Fr.Petrus Franciscus à Bononia.

In Conuentu S. Francisci Paduæ.

P.Fr.Hieronymus à Verona.
P.Fr.Clemens à Morostica.
P.Fr.Andreas Stella.

In Conuentu Sanctissimæ Annunciationis Genuæ.

P.Fr.Cherubinus à Linguelia.
P.Fr.Thomas à Genua.
P.Fr.Antonius ab Antroduco.

In Conuentu S. Angeli Mediolani.

P.Fr.Cælestinus à Mediolano.
P.Fr.Dominicus Franciscus à Soncino.
P.Fr.Ioseph Maria Mazetti.

In Conuentu S. Mariæ Angelorum Panormi.

P.Fr.Benedictus à Panormo.
P.Fr.Alexander à Careno.
P.Fr.Felix à Panormo.

In Conuentu S. Bernardini Aquilæ.

P.Fr.Lucius á Petriroli.
P.Fr.Desiderius à Luca.
P.Fr.Ioannes Maria à Castilento.

In Conuentu S. Didaci Neapolis.

P.Fr.Ioannes Baptista ab Atina.
P.Fr.Bonauentura à Maiori.
P.Fr.Martinus Berrain.

In Conuentu S. Francisci Anconæ.

P.Fr.Antonius à Cartocero.
P.Fr.Antonius à Taramella.
P.Fr.Ioannes Baptista à Salerno.

In Conuentu S. Francisci Lucæ.

P.Fr.Paulus de Senis.
P.Fr.Hieronymus à Massa.

P.Fr.Ioan-

P.Fr.Ioannes Maria à S. Cruce.

In Conuentu S. Antonij Lycij.

P.Fr.Bernardinus ab Altilia.
P.Fr. Gulielmus à Panormo.
P.Fr.Franciſcus ab Iſchitella.

In Conuentu S. Franciſci Coſentiæ.

P.Fr.Bonauentura à Taberna.
P.Fr.Ioannes Baptiſta à Montopoli.
P.Fr.Chriſanthus à Monterculeo.

In Conuentu S. Franciſci Cracouiæ.

P.Fr.Ludouicus Brikner.
P.Fr.Samuel Szyboroski.
P.Fr.Florianus Cicharonoski.

In Conuentu S.Mariæ Ieſu Meſſanæ.

P.Fr.Dominicus à Morano.
P.Fr.Cherubinus a Genua.
P.Fr.Sebaſtianus à Beneuento.

In Conuentu Ieſu Mariæ Foggiæ.

P.Fr.Franciſcus Antonius à Foggia.
P.Fr.Ioannes Baptiſta à Manfredonia.
P.Fr.Ioſeph Maria à Liberano.

In Conuentu Lublinenſi.

P.Fr.Ambroſius Bigleuuiecz.
P.Fr.Ambroſius Barkaman.
P.Fr.Franciſcus Sulcz.

In Conuentu S.Mariæ Ieſu Montis Leonis.

P.Fr.Franciſcus à Verolis.
P.Fr.Marcellus à Panormo.
P.Fr.Didacus à Pizio.

In Conuentu S. Ioſeph Brixiæ.

P.Fr.Franciſcus à Gabiano.
P.Fr.Angelus à Caſtrizato.
P.Fr.Angelus Maria de Venetijs.

In Conuentu S. Thomæ Taurini.

P.Fr.Bartholomæus à Carmagnola.
P.Fr.Paulus Franciſcus à Monteforti.
P.Fr.Franciſcus Quareſmius à Lauda.

In Conuentu S.Bernardini Alexandriæ.

P.Fr.Daniel ab Aquis.
P.Fr.Desiderius à Mediolano.
P.Fr.Constantinus à Mediolano.

In Conuentu S. Spiritus Ferrariæ.

P.Fr.Saluator à Foroliuio.
P.Fr.Ioannes Franciscus à Castro S.Petri.
P.Fr.Antonius Franciscus de Bononia.

In Conuentu S. Annæ Varsauiæ.

P.Fr.Valerianus Teuuardouuicz.
P.Fr.Carolus Prasnensis.
P.Fr.Andreas Pasczynski.

Studia nouitèr erecta in ordine ad Iubilationem.

In Conuentu S. Mariæ Iesu Moticæ.

P.Fr.Bonauentura à Terra Noua.
P.Fr.Angelicus à Spaccafurno.
P.Fr.Ioannes Maria à Panormo.

In Conuentu S. Mariæ Nouæ Fani.

P.Fr.Antonius à Rosara.
P.Fr.Hieronymus à Guastalla.
P.Fr.Hieronymus à Laurino.

In Conuentu S.Francisci Bastiæ.

P.Fr.Augustinus à Petreto.
P.Fr.Alexander ab Occhiatana.
P.Fr.Iulianus à S.Lucia.

In Studijs Generalibus non ordinatis ad Iubilationem.

In Conuentu S. Francisci Mantuæ.

P.F.Ferdinandus à Sanguineto.
P.F.Vincentius à Ragusio.
P.Fr.Paschalis à Bruxelles.

In Conuentu Paradisi Viterbij.

P.Fr.Dionysius à Lecona.
P.Fr.Antonius à Dalmatia.
P.Fr.Laurentius à S.Laurentio.

A

In

In Conuentu S. *Francisci Ragusij.*

P.Fr.Hyacinthus à Ragusio.

P.Fr.Augustinus Flauius Macedoneich.

P.Fr.Dominicus à Bitonto.

In Conuentu S. Crucis Pisarum.

P.Fr.Michael Angelus à Florentia.

P.Fr.Franciscus Maria de Castro Franco.

P.Fr.Ioseph de Fabricis.

In Conuentu S. Mariæ Tarsati.

P.Fr.Sigismundus Sigonius.

P.Fr.Antonius Kraa.

In Conuentu Posnaniensi.

P.Fr.Stephanus Bigdostianus.

P.Fr.Franciscus Radanoski.

P.Fr.Alexander Cosiminus.

In Conuentu S. Mariæ Drepani.

P.Fr.Bonauentura à Termis.

P.Fr.Antonius à Iesu.

P.Fr.Franciscus à Floro.

In Conuentu S. Mariæ Melitæ.

P.Fr.Antonius à Lipari.

P.Fr.Marinus à Careno.

P.Fr.Felix ab Aula.

In Conuentu S. Mariæ Magdalenæ Auersæ.

P.Fr.Franciscus à Neapoli.

P.Fr.Franciscus à Pumiliano.

P.Fr.Nicolaus Cros.

In Conuentu S. Antonij Titi.

P.Fr.Michael Angelus a Neapoli.

P.Fr.Ioannes à Monte S.Paulo.

P.Fr.Carolus à Tito.

In Conuentu S. Francisci Zagabriæ.

P.Fr.Alexius Busacouix.

P.Fr.Ægidius Vicih.

P.Fr. . . . . . .

In Conuentu S. Andreæ Barlettæ.

P.F.Bonauentura à Mineruino.

P.Fr.An-

P.Fr.Angelus Maria à Neapoli.
P.Fr.Ioannes à Mulfitto.

In Conuentu S. Angeli Cremonæ.

P.Fr.Antonius ab Arimino.
P.Fr.Angelus à Foroliuio.
P.Fr.Ioſeph Franciſcus de Parma.

In Conuentu S. Franſci Laudæ.

P.Fr.Bartholomæus à Lauda.
P.Fr.Clemens à Mediolano.
P.Fr.Hieronymus à Modoetia.

In Conuentu S. Hieronymi Viennæ.

P.Fr.Fulgentius Haff.
P.Fr.Lambertus Lambreſch.
P.Fr.Vvolfangus Plokner.

In Conuentu S. Mariæ ad Niues Pragæ.

P.Fr.Antonius Harttamann.
P.Fr.Amandus Hermann.
P.Fr.Sebaſtianus Scambogen.

In Conuentu S.Franciſci Mirandulæ.

P.Fr.Reginaldus à Mirandula.
P.Fr.Hieronymus à Ionijs.

In Studijs Generalibus nouitèr erectis.

In Conuentu S. Franciſci Cauæ.

P.Fr.Angelus à Monte Coruino.
P.Fr.Antonius à Gifonio.
P.Fr.Gregorius à Neapoli.

In Conuentu S.Crucis Maceratæ.

P.Fr. Angelus à Ragiolo.
P.Fr.Iſidorus à Mediolano.
P.Fr.Antonius Flaccus.

In Conuentu S. Mariæ Gratiarum Campibaſſi.

P.Fr. Gulielmus à Foggia.
P.Fr.Aloyſius à Cupertino.

In Conuentu S. Antonij Theatæ.

P.Fr.Saluator à S.Ornero.
P.Fr.Angelus à S. Demetrio.
P.Fr.Agnellus à Neapoli.

Con-

Pro tota Familia.

1. COngregatio Generalis statuit, ne in posterum, quis in Diffinitorem Generalem eligi possit, nisi sit de corpore ipsius Capituli, idest in eo suffragium habeat, vel actu sit Secretarius Generalis Familiæ; & vltrà hoc habeat conditiones in statutis generalibus Familiæ præscriptas, vt habetur in noua Compil. cap. 8. §. 26. num. 7., reuocata constitutione ibidem num.8.; & cum officium Definitoriatus Generalis sit institutum pro maioribus Religionis negocijs expendendis, & Prouinciarum controuersijs iudicandis, & dirimendis; declaratur ad huiusmodi officium assumi non posse, qui in Sacra Theologia, substantialibus Iuris, Constitutionibus Ordinis, & doctrina regulari non sit apprimè versatus.

2. Statutum Generale prohibens, ne duo ex eadem cognatione Diffinitorijs simul interesse possint, declaratur, extendi tantùm ad primum, & secundum gradum inclusiuè.

3. Cum residentia Superiorum Prouincialiū in suis Prouincijs, sit iuri Diuino, & Canonico conformis, totiesquè præcepta, cui alterius Prouinciæ visitatio omninò opponitur, declaratur iuxtà Decret. à S. Congr. Regul. die 28. Iulij Anno Domini 1645. emanatum, nullum Ministrum, aut Vicarium Prouincialem actualem posse institui Commissarium Visitatorem alterius Prouinciæ, institutionemq; ipsam esse irritam, & nullam.

4. Vt supellectilia, & alia à Fratribus defunctis derelicta, congruè, ac fideliter distribuantur, præcipit Diffinitorium Generale, vt defuncto aliquo Religioso, statim à Guardiano, & Discretis fiat inuentarium omnium, quæ ille ad suum vsum habebat, & in loco firmiter obserrato collocentur, & claudantur, vsque ad aduentum Prouincialis, qui viso inuentario, de rebus illis sequenti modo dispo-net. Si frater defunctus fuerit in Infirmaria, eidem applicentur omnes panni linei, seù ex tela confecti; si autem

extrà

extrà Infirmariam mortuus sit, applicentur Communitati Conuentus, vbi defunctus de familia morabatur. Cui etiã Communitati consignabuntur omnia lanea vestimenta. Libri in eiusdem Conuentus Bibliotheca reponentur, & si fortè aliquid pecuniæ reperiatur, Prouincialis faciat eam deponi apud Syndicum Apostolicum Prouinciæ, pro necessarijs sumptibus, communibusquè Prouinciæ indigentijs, sumpto à Guardiano, & Discretis Conuentus testimonio de quantitate, vt suo tempore rationẽ de illa tribuere possit; Et idem obseruetur si aliquid aliud considerabilis pretij inueniatur; Picturæ si fortè sint, in Sacristia collocentur. Res autem minoris momenti inter Fratres eiusdem Conuentus de consilio Guardiani diuidantur; si autem, vel Ministri Prouinciales, vel Guardiani alitèr fecerint, aut de rebus defuncti alitèr disposuerint, suspensionem officij ad semestre incurrant.

5. Eisdem Prouincialibus strictè præcipitur, vt finito triennio, coram Præside Capituli, & nouo Diffinitorio rationem reddant omnium eleemosynarum communium Prouinciæ, supellectilium defunctorum, & cæterarum rerum, quarum administrationem in suo triennio habuerunt; Et si qui rationem huiusmodi non reddidisse, aut infideles reperti fuerint, priuatione actuum legitimorum pro culpæ qualitate puniantur.

6. Præcipit Diffinitorium Generale sub priuatione officij, vt illi, qui Lanificij Prouinciarum curam habent, in quolibet Capitulo, & Congregatione, rationem de administratione facta reddant, & suos libros computuum exhibeant, vt de eorum fidelitate Diffin.torio constet. Item præcipitur sub eadem pœna, vt Aromatarij in singulis visitationibus tàm Prouincialis, quàm Commissarij Visitatoris, coram ipsis, simul cum Guardiano, & Discretis Conuentus rationem reddant acceptorum, & expensarum, & status in quo Aromataria inuenitur.

7. Districtè præcipitur, vt Constitutio Generalis aliàs edita de oppositione facienda pro institutione Lectorum

Artium

Artiũ m omninò seruetur, vt iacet in noua Compil. Statutorum cap. 5. §. 5. per totum. Et cum illa sit forma Lectores Artium instituendi, declaratur nullum Lectorem, qui ipsa non seruata in posterum instituetur, esse legitimè, & validè institutum, ac proinde lecturam alitèr instituti, non posse sibi ad Iubilationem computari, nec ad gradum lecturæ sexennalis; Inter Reformatos verò, qui postmodum alitèr institutus deprehendatur, lectura omninò priuetur, vel à Diffinitorio Prouinciæ, vel á Prælato Generali. Quo admodum concursus, & institutionis Lectorum Artium; Reformati, apud quos non sunt studia generalia, obseruent contenta in prædicta Constitutione. Apud Obseruantes autem, vbi studia Generalia, & Prouincialia habentur, fiat sub hac distinctione: Pro studijs Philosophiæ Prouincialibus, fiat à Ministro Prouinciali, & Iudicibus electio Lectorum eo modo, quo in Constitutione ipsa præscribitur: Pro studijs autem, seù seminarijs Generalibus, admissis ad oppositionem, etiam exteris qui studuerunt in studijs Generalibus illius Prouinciæ, per vota secreta qualificentur digniores concurrentium, vnusquisquè in suo gradu, exclusis indignis; & qualificatio ab omnibus Iudicibus subscripta transmittatur ad Prælatum Generalem, vt sic approbatis, iuxtà suum gradum eligat Lectores Philosophiæ tàm pro ipsis studijs, seù seminarijs Generalibus, quàm pro alijs, quæ indiguerint.

8. Prohibet Diffinitorium Generale sub pœna priuationis actuum legitimorum per biennium, ne quis, prædicto modo Lector institutus non fuerit pro determinato studio, vel seminario, Lectoris sibi nomen arroget, nec ab aliquo talis appelletur. Et reuocat omnes literas patentes cuiuscumquè Prelati Ordinis, in quibus alitèr instituti, aut nominati sint Lectores, nisi per triennium iam legerint, aut actu legant, & sub eadem pœna præcipitur, ne illi, qui actu non exercent prædicationis officium, vel illud per trienniũ non exercuerint, Prædicatores appellari possint, reuocata etiam quælibet illorum in Prædicatores institutione.

Pro-

9. **Prohibet Congregatio Generalis, nè quis institui possit Lector Artium, nec Prædicator, qui sacro Presbyteratus ordine non sit insignitus.**

10. Vt Lectores inutilitèr non multiplicentur, pręcipit Diffinitorium Generale, vt sequēs numerus omninò obseruetur, exclusis supernumerarijs, quacumquè Prælatorum authoritate collocati sint. In vnoquoquè seminario, aut Philosophiæ studio vnus tantùm Artium Lector collocari possit. In studijs Generalibus Theologiæ tàm primæ, quàm secundæ classis, tres tantùm Lectores Theologiæ permittantur. In Prouincialibus Obseruantiæ duo tantùm sint, remoto tertio, si adsit; Inter Reformatos autem in studijs Theologiæ, vbi Studentes ad duòdenarium numerum perueniunt, tres poterunt Theologiæ Lectores collocari; in quibus autem duodecim Studentes simul non extant, duo solummodò erunt Theologiæ Lectores.

11. Declaratur, quod Lectores Theologiæ in Conuentibus vbi legunt, absente Guardiano, Vicario, aut Præside ab ipso delegato, si non adsit in Conuentu alius, qui iure ipsos præcedat, debent præsidere in Conuentu ipso, & eius Communitatibus, iuxtà Statutum Generale Toletanum de Anno 1658. Lectores casuum conscientiæ, qui duobus tantum diebus in hebdomada legunt, illis tantùm exempti sint à Choro.

12. Decernit Diffinitorium Generale, quod Prouinciales sub pœna suspensionis sui officij per bimestre, non permittant suos Religiosos ad studendum in alias Prouincias pergere, nisi prius eos, cum toto, vel parte Diffinitorij, vel eo absente cum aliquibus Lectoribus examinauerint. Et si quos idoneos non repererint, eorum insufficientiam Prælato Generali repræsentent, nec sine nouo eiusdem ordine licentias eundi permittant, quos autem aptos inuenerint, dimittant cum literis testimonialibus de examine, & approbatione, sine quibus literis, aut nouo, & speciali Prælati Generalis ordine, Superiores Prouinciarum, ad quas transmittuntur, non possint sub eadem

pœna

pœna eos recipere, sed protinùs eos ad suas Prouincias remittant. Pro illis autem, qui in proprijs Prouincijs ad Sacræ Theologiæ studium promouendi sunt, obseruetur omninò Statutum Generale cap.5.§.4.n.22. De cursu Philosophiæ completo, & examine facto.

13. Vt inconuenientibus, ex alijs dispositionibus ortis occurratur, Diffinitorium Generale determinat, ac præcipit, quod Studentibus, qui in alienis Prouincijs studiorum causa morantur, propria illorum Prouincia de vestimento, & alijs necessarijs prouideat, modo regulæ nostræ conuenienti: Onus verò prouidendi suis Prouincialibus imponitur, qui ex comminibus Prouinciæ eleemosynis, ad iudicium Diffinitorij colligendis, huic obligationi satisfacient, sub pœnis Prælatis non prouidentibus suis subditis de necessarijs in Statutis Generalibus impositis. Lectoribus autem actu in aliena Prouincia legentibus, illa ipsa in qua legunt vestimentum tribuet, vti proprijs filijs facere solet, sub eadem pœna Prælatis negligentibus.

14. Declaratur, quod Suggestus Generales, pro quibus ad Prælatos Generales, de Prædicatoribus prouidere pertinet sunt sequentes, videlicet ex Cathedralibus.

Cathedralis Florentiæ.
Cathedralis Bastiæ in Corsica.
Cathedralis Goritiæ.

Ex Ecclesijs in Ordine.

S. Mariæ de Aracæli in Vrbe.
S. Mariæ Nouæ (Neapolis.
S. Didaci (
S. Francisci de Vinea Venetiarum.
Sanctissimæ Annunciationis Genuæ.
Viridarij Mediolani.
S. Mariæ Angelorum Panormi.
S. Francisci Magni Patauij.
S. Thomæ Taurini.

S. Fran-

S. Francisci Mantuæ.
Sanctissimæ Annunciationis Parmæ.
S. Ioseph Brixiæ.
S. Bernardini Aquilæ.
S. Spiritus Ferrariæ.
S. Apollinaris Rauennæ.
Dominæ Nostræ Liburni.
S. Blasij Vicentiæ.
S. Bernardini Veronæ.
S. Francisci de Caua.
S. Mariæ Montis Leonis.
S. Francisci Lucæ.
S. Bartholomæi Vrbis.
S. Lucæ Cremonæ.
S. Francisci Laudæ.
S. Francisci Viadanæ.
S. Francisci Clauaris.

15. Prædicatio autem in prædictis suggestibus per tempus à Constitutione Generali præscriptum declaratur sufficiens pro obtinendo titulo Prædicatoris Clarissimi, dum tamen per testimonia authentica constet, ipsam pręclarè, & cum Religionis honore in effectu habitam fuisse, neminemquè non exhibitis, & approbatis authenticis testimonijs prædictis, posse Prædicatorem Clarissimum denunciari.

16. Decernit Diffinitorium Generale, vt nullus Concionator possit extrà suam Prouinciam conciones facere, nisi de licentia Superioris Generalis, cum assignatione loci determinati, vbi habiturus est conciones, aut de licentia tàm sui Prouincialis, quàm alterius, in cuius districtu prædicaturus est, cum determinatione loci. Licentiam autem sine prædicta loci determinatione concessam, nullus Prælatus exequi permittat, non consulto de nouo Superiore Generali.

17. Prouinciales Ministri, sub pœna suspensionis suorum

rum officiorum per sex menses mittant notitias historicas suarum Prouinciarum, aliàs à Reuerendissimo Ministro Generali per suas patentes literas requisitas, vt in decorem Religionis, eiusdem historiæ prosequantur.

18. Vt labor in historia generali componenda, adeò Religioni nostræ proficuus, aliquo præmio muneretur, statuit Congregatio Generalis, vt Chronologus Generalis Ordinis, post editum opus aliquod, Reuerendissimi P. Ministri Generalis iudicio condignum, gaudeat titulo, & præcedentia Patris Prouinciæ immediatè post Exprouinciales.

19. Decernitur, quod Nouitius, qui non habet vltra medietatem suffragiorum Communitatis, statim debeat expelli secundum Decretum Innocentij X., neque sit in arbitrio Ministri Prouincialis illum retinere, & hoc tam pro prima, quàm secunda, & tertia vice, quibus sumuntur suffragia.

20. Declaratur, quod Excustos modernior aliquo ex Definitore, sicut hunc præcedit, ita debet etiam illi anteferri in subrogatione, vel substitutione in defectu alicuius Diffinitoris actualis.

21. Congregatio Generalis commendat Officialibus Curiæ, vt procurent apud Sacram Congregationem Rituum, pro maiori Dei gloria, & honore Religionis nostræ.

Primò, vt festum Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ celebretur sub ritu duplicis primæ classis, vt Compatrona totius Religionis.

Secundò, vt ex Bullis Sixti IV. & V. de Canonizatione, & Doctoratu S. Bonauenturæ, addatur tertia lectio secundi nocturni Breuiario Romano apponenda.

Tertiò, vt ex lectione S. Claræ existente in Breuiario Romano, & ex Bulla Canonizationis ipsius componantur tres lectiones, & eidem Breuiario Romano apponantur.

Quartò, vt lectiones propriæ S. Didaci, quæ in Diœcesi Toletana recitantur cum officio eiusdem Sancti ponantur in Breuiario Romano.

Quintò, quod officium proprium Beati Guidonis

Confessoris Ordinis Nostri, quod in Diœcesi Cortonensi ex indulto Apostolico recitatur, extendatur vniuersalitèr ad Ordinem nostrum.

Sextò, vt officium proprium Beatæ Catharinæ, concessum Conuentui SS. Corporis Christi, Bononiensi, & toti Diœcesi extendatur ad Ordinem nostrum.

Septimò, quod concedantur etiam pro Ordine nostro lectiones secundi nocturni propriæ, referentes martyrium Beatorum Martyrum Petri, & Sociorum eius Iaponensium, quas ex historijs Religionis, & ex processibus componi procurabunt.

Octauò, quod officium Sancti Beniuenuti Episcopi Auximani, quod in eadem Diœcesi recitatur, extendatur ad vniuersum Ordinem nostrum, quem ipse Sanctus dum viueret professus est.

Nonò, quod officium Beati Luchesij Tertij Ordinis S. P. Francisci, quod ex indulto Apostolico Patres Tertij Ordinis recitant, ad vniuersum Ordinem nostrum extendatur.

Decimò, vt officium Beatæ Margharitæ de Cortona, iam sub ritu semiduplici concessum ab Vrbano VIII., apponatur sub ritu duplici cum lectionibus proprijs in secundo nocturno.

Pro Obseruantibus.

22. Præcipit Diffinitorium Generale, vt omninò executioni mandetur in qualibet Prouincia statutum generale in noua compil. positum cap. 3. §. 53. num. 11. quod Lectores Sacræ Theologiæ pro tempore, & loco, quo actu legunt, præcedant Secretarios Curiæ Romanæ, Secretarios Prouinciarum, Excustodes, & Exdiffinitores, non obstante quacumque consuetudine in contrarium.

23. Studium generale S. Francisci Bastiæ in Corsica, sit primæ classis. Studium S. Mariæ de Campobasso Prouinciæ S. Angeli de Obseru. instituitur generale secundæ classis.

classis: Studium S. Francisci Cauæ Prouinciæ Obseruantis Principatus, fit generale secundæ classis. In Conuentu S. Antonij Theatæ, Prouinciæ Obseruantis S. Bernardini instituitur studium generale secundæ classis. Studium prouinciale Theologiæ S. Crucis Maceratæ, fit generale secundæ classis, & studium S. Mariæ Nouæ Fani, quod erat generale secundæ classis, declaratur primæ classis, ambo in Prouincia Obseru. Marchiæ.

Pro Terra Sancta.

24. Congregatio Generalis statuit, vt Commissarij Terræ Sanctæ deinceps non accedant ad Capitula, & Congregationes generales, propter rationes reddendas de eleemosynis à se collectis, & in Ierosolymam transmissis: sed rationes ipsas, seù computus producant, & legitiment coram Ministro Prouinciali, & Diffinitorio Prouinciæ in qua sunt: Et deinde legitimatas, & subscriptas, clausas, ac sigillo Commissariatus munitas, Patri Custodi eiusdem Prouinciæ tradant, qui eas ad Comitia Generalia transportare teneatur, vbi de nouo examinabuntur, & de fidelitate, & diligentia iudicium feretur, reuocata quacumque constitutione in contrarium.

25. Item prohibet Congregatio Generalis prædictis Commissarijs Terræ Sanctæ, ne in posterum possint mittere Hierosolymas, aliquem, vel aliquos Fratres cum eleemosynis à se collectis; sed prædicti Commissarij eas transmittant ad Syndicum Apostolicum Terræ Sanctæ, vel Liburni, vel Messanæ, vel Venetiarum, secundum vniuscuiusque maiorem proximitatem: Moneantq; Prælatum Generalem in his partibus Cismontanis commorantem, de eleemosynis à se, ad prædictos Syndicos transmissis, vt ipse tempore opportuno Religiosum probum, & fidelem deputet, qui prædictas eleemosynas, vt premissum est, collectas deferat Hierosolymas, cum scriptura declarante quænam determinata quantitas ex vnoquoque Commissa-

 riatu

riatu deportetur, vt in libris Hierosolymæ scribantur, & pro Benefactoribus exoretur.

Pro Prouincia Bosnæ Argentinæ.

26. Conceditur Ministro Prouinciali, vt possit mittere aliquot ex suis Fratribus per omnes Romani Imperij Prouincias, qui pro vna vice tantùm, interuentu Syndici Apostolici loci, vbi fuerint, eodem modo quo faciunt Commissarij Terræ Sanctæ, quæstuationem pecuniarum facere possint. De eleemosynis autem collectis rationem reddere debent, primò singulis Ministris Prouincialibus illarum Prouinciarum, in quibus eas collegerint, & deinde Reuerendissimo Patri Commissario Generali, vt distinctè appareat quantitas pecuniæ collectæ. Concessio autem hæc est ad effectum redimendi vasa sacra eiusdem Prouinciæ iam oppignorata, & ad vestimentum Fratribus tribuendum, nullo vero modo pro soluendis Turcæ tributis; ac proinde Prouincialis teneatur rationem reddere Commissario Generali de eleemosynis collectis, expensis pro prędictis necessitatibus.

27. Item conceditur Prouinciali eiusdem Prouinciæ pro tempore existenti, vt possit mittere duos Religiosos Constantinopolim ad inuigilandum super quotidianas Græcorum insidias, qui tamen nullum prorsùs tractatum, seù concordatum de soluendo Turcis aliquo tributo statuere possint. Guardianus autem Conuentus nostri Galatæ teneatur eos admittere, ac benignè fauere.

28. Demùm conceditur eidem Prouinciæ, vt tempore debito mittendi Commissarium ad visitandam Prouinciam, Prouincialis cum maiori parte Definitorij possit proponere tres ex grauioribus, & prudentioribus eiusdem Prouinciæ Religiosis, rogans Superiorem Generalem, vt vnum ex illis deputet ad prædictam visitationem, & præsidentiam Capituli. Prælatus autem Generalis vnum illorum quem maluerit pro prædictis muneribus assignabit.

Pro

29. Concedit Diffinitorium Generale, vt aliquando propter vrgentissimam causam possit assumi vnus ex corpore Definitorij, & fieri Guardianus, causa autem prius approbanda est à maiori parte eiusdem Definitorij.

Promulgatur, & executioni mandetur translatio Studij Labacensis ad Conuentum Tarsatensem, aliàs in Capitulo Generali decreta.

Pro Prouincia Albaniæ.

30. Fratres Prouinciæ Albaniæ,qui ad alienas studiorum causa pergunt, statim finitis studijs, ad propriam remitti debent à Ministris Prouincialibus, vbi studuerunt, sub pœna suspensionis Prouincialibus vltrà eos retinentibus.

31. Si quis Frater eiusdem Prouinciæ in alia incorporetur, perpetuò priuatus sit actibus legitimis, nec possit institui Lector, aut Prædicator. De his verò, qui in alienis Prouincijs iam incorporati sunt, Reuerendissimus Pater Commissarius Generalis informationem capiat de modo, quo fuerunt incorporati, & si ipsos non legitimè incorporatos inueniat, statim excorporatos declaret, & ad propriam Prouinciam remittat. Rogat autem Definitorium Generale Reuerendissimos Patres Ministrum, & Commissarium Generalem, ne in posterum aliquem præfatæ Prouinciæ Religiosum, authoritate propria in alia incorporent, aut quoquomodo incorporari permittant, cum adeò in propria pro eiusdem conseruatione, & animarum salute necessarij sint.

Pro Prouincia Maioris Poloniæ.

32. Districtè præcipitur seruari statutum generale, de non permittendo transitu à Prouincia Reformata Maioris

Poloniæ ad obseruantem eiusdem tituli, vel è contra; nisi de consensu Prælati Generalis, obseruatis omnibus in Constitutionibus Apostolicis, & Ordinis pro simili transitu ordinatis. Prouincialis autem, qui aliquem Religiosum alitèr admiserit, à suo officio per semestre suspendatur; Et si aliquis alio modo deinceps incorporetur, vel etiam de præterito incorporatus sit, statim ad propriam Prouinciam remittatur.

Ista est

Fr. Ioseph Minister Generalis.
Fr. Antonius à S. Ioanne Commissarius Generalis.
Fr. Celsus Maria Billò Commissarius Generalis Curiæ.
Fr. Bernardinus à Bisignano Procurator Generalis Reformatorum.
Fr. Hieronymus à Velitris Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes à Stronconio Diffinitor Generalis.
Fr. Bonauentura à Iuliano Diffinitor Generalis.
Fr. Cyrillus à Seniga Diffinitor Generalis.
Fr. Balthassar à Messana Diffinitor Generalis.
Fr. Petrus Antonius à Nereto Diffinitor Generalis.
Fr. Narcissus Hietel Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes Baptista Gherzius Diffinitor Generalis.
Fr. Fortunatus Huebet Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes Baptista Cattaneus Diffinitor Generalis.

Decreta nonnulla Sacrarum Congregationum,

Reuerendissimorumquè Patrum Ministri, & Commissarij Generalis, pro felici, & pacifico Cismontanæ huius familiæ gubernio emanata.

Decretum Reuerendissimi Patris Ministri Generalis.

Declarans, & determinans Religiosos, qui in Principaliori Prouinciæ Conuentu Guardianatus officio functi sunt, habere præcedentiam ab antiquis in Religione.

Flo-

Florentina Præcedentiæ.

IN causa controuersiæ inter PP. Fr. Antonium à Terrinoca, Prædicatorem, Theologum, & Fr. Cherubinum Valorium Concionatorem Generalem, atque Theologum Prouinciæ Obseruantis Tusciæ Alumnos, quorum primus ratione maioris antiquitatis, vtpotè quinquagenarius ætate, qui supra triginta Religionis annos expleuit, secundus titulo Guardianatus Principalioris Prouinciæ Conuentus iam præhabiti, mutuo se præcedere prætendunt.

Reuerendissimus Pater Fr. Ioseph Ximenes Samaniego Minister Generalis totius Ordinis S. Patris Francisci, partibus hinc inde informantibus, visis videndis, & consideratis considerandis, vt præsentem, & alias lites, quæ in hac materia, ex minus clara Constitutionum Ordinis dispositione oriri possunt, dirimat, authoritate, suo officio, tum ex Apostolicis, tum ex Religionis Constitutionibus concessa, sequentia puncta declarauit.

Primum. Religiosum, qui in principaliori Prouinciæ Conuentu Guardianatus officio functus est, debere præcedere omnes Sacerdotes, etiam habitu antiquiores, qui trigesimum annum Religionis non compleuerint, aut, qui illum, incœpto quinquagesimo ætatis anno, non attigerint. Hoc enim manifestè colligitur ex Constitutione Generali, consignante præcedentiam Lectoribus Artium, & casuum conscientiæ in noua stat. compil. cap. 8. §. 53. num. 20., nam dum præfatis Lectoribus conceditur præcedentia super omnes Sacerdotes, qui trigesimum Religionis annum non compleuerunt, aut qui Guardianatus officio in principaliori Prouinciæ Cõuentu functi nõ sunt; manifestum est prædictos habituales Guardianos principalioris domus in eodem præcedentiæ gradu poni, quo sunt illi, qui trigesimum Religionis annum compleuerunt, aut illum cum quinquagesimo ætatis attigerunt.

Secundum. Prædictis habitualibus Guardianis prin-

cipalioris Conuentus nullam aliam præcedentiam maiorem deberi, ex hoc capite præhabiti Guardianatus, quia nullibi ipsis conceditur, & vbi non datur exceptio, generali legi de præcedentia Fratrum, iuxtà Religionis antiquitatem, standum est.

Tertium. Prædictam præcedentiam supra Sacerdotes, qui trigesimum Religionis annum compleuerunt, non deberi præfatis Guardianis, nisi per integrum biennium officio Guardianatus principalioris Cōuentus functi fuerint. Nulla enim præcedentia, ex vi sola præhabiti officij conceditur in Constitutionibus Generalibus, nisi illis, qui per biennium integrum in ipso officio seruierunt, vt patet discurrendo per singula; in tantum, vt ad exceptuandum ab hac generali regula officium Ministri Generalis, ratione dignitatis capitis totius Religionis, necessaria fuerit declaratio Papæ Clementis X. per Breue in vltimo Capitulo Generali admissum.

Quartum. Illum Sacerdotem, qui prius compleuit trigesimum Religionis annum, quam Guardianus principalioris Conuentus biennium prædicti Guardianatus; debere præcedere prædictum Guardianum post absolutum officium, & idem est si simul expleat. Quia Guardianus ipse per expletionem sui biennij Guardianatus, ponitur in antiquitate triginta annorum Religionis, per exceptionem legis generalis de præcedentia Fratrum, iuxtà tempus sui ingressus in Religionem, & quasi ex quodam priuilegio; Ille autem, qui trigesimum Religionis annum expleuit, habet illam antiquitatem, & præcedentiam, ex vi legis generalis statuentis Fratres sese præcedere, iuxtà tempus sui ingressus in Religionem, & cæteris paribus præcedere debet ille, qui ex generali lege, illum, qui per exceptionem, & quasi priuilegium in eodem gradu constituitur, maximè cum exceptiones, & priuilegia sint odiosa, ac proinde restringenda.

Quintum. Guardianum principalioris Conuentus qui

qui biennium prædicti Guardianatus expleuit, debere præcedere omnes Sacerdotes, qui tempore, quo ipse expleuit biennium Guardianatus, non expleuerant trigesimum annum Religionis, etiam postquam deinde illum compleuerint. Tum quia semel acquisita præcedentia ex ratione, seù titulo aliquo permanenti, manentibus subiectis in eodem officiorum gradu non amittitur per solam temporis successionem; Tum, & maximè quia Guardianus per expletum biennium Guardianatus principalioris ponitur in antiquitate triginta annorum Religionis; ac proinde quando Sacerdos ille successu temporis peruenit ad trigesimum Religionis annum, iam Guardianus habitualis habet præter trigesimum annum antiquitatis sibi concessum, reliquum tempus maioris antiquitatis, quod successit post biennium Guardianatus expletum, & sic semper habet maiorem antiquitatem cui præcedentia debetur.

Sextum. Præcedentiam, qua potiuntur Guardiani ratione Conuentus principalioris, cui per biennium integrum præfuerunt, extendendam esse ad omnes suæ Prouinciæ Conuentus, ita vt in singulis, & non tantùm in principaliori, æquale ius habeant ad præcedendum; Tum quia Lectores Artium actuales, quos Guardiani principalioris Conuentus absolutè præcedere debent, legunt etiam in alijs Conuentibus, & non solùm in principaliori; Tum quia, vt supra exposuimus, Guardianus idem mox, vt expleuit biennium sui Guardianatus, ponitur in antiquitate triginta annorum Religionis; Igitur in quocumque Conuentu intra limites suæ Prouinciæ debet posse vti iure huiusmodi præcedentiæ sibi, quamuis per exceptionem legis, & velut ex priuilegio concessæ.

Has autem declarationes præcipit Sua Reuerendissima Paternitas in omnibus Obseruantiæ Prouincijs huius Cismontanæ familiæ obseruari, sub pœna imposita pacis perturbatoribus, & iuxtà illas ab omnibus Prælatis sibi

sub-

subditis iudicari; & definiri in similibus controuersijs deberi. Et præsens publicum instrumentum expediri mandauit in Conuentu Aracælitano die 10. Septembris 1679.

Fr. Ioseph Minister Generalis.

Locus ✝ sigilli.

De mandato Suæ Reuerendissimæ Paternitatis
Fr. Petrus Antonius Crassus à Canturio Secret. Gen. Ord.

Decretum, quo Reuerendissimus Commissarius Generalis determinat Eleemosynas Confessariorum Monialium pertinere ad Conuentum in quo Confessarij sunt de familia.

Lucana Congruæ.

QVoniam Eminentiss. ac Reuerendissimus Dominus S.R.E. Card. Iulius Spinula, Episcopus Lucanus, & Comes Imperialis, de speciali mandato Sacræ Congregationis, negocijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, iuxtà decreta ab eadem Sacra Congregatione pluries emanata, & nouissimè de anno 1678. die 16. mensis Decembris, à Sanctissimo D. N. Innocentio XI. sub die 18. Ianuarij anni 1679. viuæ vocis oraculo approbata, loco victus, vetiti recipi dietim à Monialibus exemptis, taxauit respectiuè ad Confessarios, eorumque socios, Sanctimonialium Monasterij S. Michaelis Lucæ, non comprehensis sacrorum eleemosynis, congruam centum duodecim scutorum annuorum, per medietatem, singulis quibusque sex mensibus soluendorum Syndico Apostolico Conuentus S. Francisci præfatæ Ciuitatis Lucæ, in quo dicti Monasterij Sanctimonialium Confessarij, & socij, tum ordinarij, tum extraordinarij morari solent.

Nos Fr. Antonius de S. Ioanne Ord. Min. de Obseru. in hac Cismontana familia, tam Obseruantium, quàm Reformatorum Commissarius Generalis; Omnibus difficultatibus,

tibus, & controuersijs, quæ super his quomodolibet inter Superiores locales, Confessarios præfatos, ac socios oriri possent, de paterna nostra solicitudine occurrere volentes, neuè occasio vlla dari possit, vel debeat eisdem, à promissa Deo altissimæ paupertate errandi, inhærendo allegatis Sacræ Congregationis Decretis, necnon Seraphicæ nostræ Regulæ præceptis, declarationibus, Ordinisque statutis, facto etiam verbo cum eodem Domino Nostro Papa Innocentio XI. ipsoq; benignè annuẽte, vt retulit Illustriss. de Luca eius Auditor. Præcipimus, declaramus, & volumus, dictam eleemosynarum quantitatem, illis quoque Sacrorum inclusis, ex integro debere esse ad fauorem memorati Conuentus S. Francisci, ac totam, & totaliter cum cæteris propè Syndicum Apostolicum deponendam, incorporandamue fore pro communibus Fratrum eiusdem Conuentus necessitatibus, vt nihil penitùs talium eleemosynarum prætendi possit, aut debeat, quocumque titulo à præfatis Confessarijs, & socijs, seù eorum aliquo, sub pœna proprietarijs assignata, alijsque arbitrio nostro seruatis, & ita inuiolabiliter obseruari iubemus, non solùm in recensito Lucensi loco, sed vbique huius nostræ Cismontanæ familiæ, mandantes per sanctam obedientiam, atque in virtute Spiritus Sancti, necnon sub pœna suspensionis ab eorum officijs per sex menses pro prima vice, & priuationis pro secunda, omnibus, & singulis Superioribus Prouincialibus, & localibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit, vt hanc nostram declarationem, seù decretum omninò seruent, & seruari faciant, cum onere tamen prouidendi promptè, & caritatiuè prædictis Patribus Confessarijs, eorumque socijs necessaria omnia, non tantùm, quemadmodum intra limites altissimæ nostræ paupertatis tenentur quoad omnes suos subditos, sed speciali quadam pia ratione ob graues, multosque continuos ipsorum Confessariorum labores, prout sedulò, ac benignè facturos, in Domino speramus, atque iniungimus, nisi iusti iudicij Dei, nostræque rationabilis indignationis, necnon comminatarum

supra

ſupra pœnarum rei eſſe velint. Dat. Romæ die 19. Septembris 1679.

Fr. Antonius à S.Ioanne Commiſſarius Generalis.

Locus ✝ Sigilli.

De mandato Suæ Reuerendiſſimæ Paternitatis
Fr.Ludouicus ab Aquis Secret. Generalis.

Decretum, quo Reuerendiſſimus Pater Commiſſarius Generalis declarat, ac determinat, prouentus, qui ex Cuſtodia Salariæ proueniunt, pertinere ad Conuentum Aracælitanum, & determinatè pro Communitate pannorum lineorum.

Romana Salariæ.

CVm Eminentiſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus S.R.E. pro tempore Cardinalis Camerarius, de Apoſtolica Summorum Pontificum benignitate, dignetur miniſterio officij Salariæ in Vrbe aliquem Ordinis noſtri Religioſum deputare, cui, ob aſsiſtentiam, & labores, quædã certæ, incertæque eleemoſynæ erogari conſueuerunt.

Nos Fr. Antonius de S. Ioanne Ordinis Minorum de Obſeru. in hac Ciſmontana familia, tam Obſeru. quàm Reform. Commiſſarius Generalis, ne hinc præfatus Religioſus occaſionem ſumere debeat, vel poſsit, quidquam dictarum eleemoſynarum ſibimetipſi appropriandi; Apoſtolicis inhærendo multorum Summorum Pontificum ſanctionibus, Sacrarom Congreg. decretis, atq; Ordinis ſtatutis, pluries hac de re emanatis; facto etiam verbo cum Sanctiſs. D. N. Innocentio XI., ipſoque benignè annuente, vt retulit Illuſtriſsimus de Luca eius Auditor, præcipimus per ſanctam obedientiam, & ſub pœnis in proprietarios latis, necnon priuationis officiorum Ordinis per ſexennium, ne vllo quæſito colore, aut prætextu, audeat per ſeipſum tales eleemoſynas recipere, ſeù quomodolibet de illis diſponere, ſed integrè, ac fideliter à Domino Syndico Apo-

ſtolico

ftolico huius Almi Conuentus Aracælitani recipi curet, vel illi folui faciat, qui eas incorporabit cum alijs eleemofynis, in beneficium fignantèr Communitatis pannorum lineorum, & cæterorum, quæ ex eadem Communitate vfibus pauperum Fratrum neceffaria funt, cum onere Patri Guardiano præfati Conuentus Aracælitani iniuncto, fub pœna priuationis fui officij, prouidendi fedulò, & promptè, omnia religiosè occurentia prædicto Patri Deputato Salariæ, atque ei piè ferendi omnem illam opem, quam vera charitas, & Seraphica fraternitas, tot perpenfis laboribus dictauerit in Domino.

Quia verò militat eadem ratio de reliquis, quæ in Vrbe, & alibi huius noftræ Cifmontanæ familiæ confequi folent à Fratribus, titulo moderandi Horologia, Organa, Gymnafia, Capellanias, Confraternitates, & id generis, vel diuerfi, volumus omninò, & fub ijfdem pœnis, & formis mandamus hoc noftrum decretum ad omnes, & omnia extendi, atque inuiolabilitèr vbique locorum obferuari, onerantes confcientias Superiorum Prouincialium, & localium, cum expreffa intimatione noftræ iuftæ indignationis, fufpenfionifue ab eorum officijs ad arbitrium, fi minus quã par eft diligentes fuper his à nobis fuerint, quomodolibet inuenti, & etiam fi contigerit eos non fubminiftrare follicitè, ac charitatiuę præ alijs, cuncta neceffaria Fratribus, qui fpeciali labore pręfatis muneribus incumbunt, quemadmodum intra præfcriptum noftræ altiffimæ paupertatis de deputato Salariæ iniunximus. Dat. Romę die 20. Nouembris 1679.

Fr. Antonius de S. Ioanne Commiffarius Gener.

Locus † figilli.

De mandato Suæ Reuerendiffimæ Paternitatis
Fr. Ludouicus ab Aquis Secret. Generalis.

De-

Decretum Sacræ Congregat. Episcoporum, & Regularium, prohibens Fratribus Superioribus, & subditis, ne retineant sæculares in Conuentibus.

Ordinis Minorum Obseruantium S. Francisci.

SAcra Congregatio Eminentissimorum DD. S. R. E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, religiosę quieti, & tranquillitati Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia benignè consulens, iniungendum censuit, prout pręsentis decreti tenore iniungit omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus Prouincialibus, localibus, eorumque subditis sub pœna priuationis officiorum Ordinis immediatè incurrenda, ne vllo vnquam tempore, quouis prętextu, vel quæsito colore permittant, aut consentiant; sęculares quoscumque ingredi septa suorum Conuentuum deferendo per syluas, hortos, & prata sclopos ad venandū, seù alia armorum genera, vel illa apud Fratres tam Superiores, quàm subditos deponere, pariterque ludere quomodolibet per claustra, aliaque loca publica, vel priuata ipsorum Conuentuum, & conuiuere, ac pernoctare in eis vltra triduum, tantum piæ hospitalitatis titulo; Et sic seruari mandat. Non obstan. &c. Romę 1. Decembris 1679.

G. Cardinalis Carpineus.

Locus ✝ sigilli.

Io. Baptista Archiep. Ian. Secret.

Concessio recitandi Officium B. Catharinæ de Bononia.

Ordinis Min. Obseru. S. Francisci.

SAcra Rituum Congregatio ad pias preces Eminentissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Ludouisij S. R. E. Maioris Pœnitentiarij, porrectas pro Reu. Ministro Generali Ordinis Minorum Obseru. S. Francisci benignè annuēs gratiam extendendo concessit, vt in posterum omnes, & sin-

singuli Fratres, & Moniales in quacumque Mundi parte existentes; & militantes sub iurisdictione prædicti Patris Ministri Generalis licitè, & liberè recitare possint, & valeant officium proprium B. Catharinæ à Bononia Ordinis S. Claræ, eo modo, quo recitatur à Monialibus Corporis Christi Ferrariæ, & Bononiæ. Hac die 24. Februarij 1680.

Cæsar Card. Fachenettus.

Locus ✝ sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congreg. Secret.

Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quo prohibetur Fratribus de Obseruantia, ne vllo pacto mutuas dare possint supellectiles, cæteraque ad eorum Ecclesias spectantia.

Ordinis Minorum Obseruantium S. Francisci.

SAcra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, spectabili cultui, & decoro ornatui Ecclesiarum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia prouidè consulens, iniungendum censuit, prout præsentis decreti tenore iniungit omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus Prouincialibus, localibus, eorumque subditis, sub pœna priuationis officiorum Ordinis immediatè incurrendà, ne vllo vnquam tempore, quauis occasione, vel prætextu, ad instantiam, & preces cuiusuis, indulgeant, aut consentiant supellectiles, vasa, ornamenta, vestes, atque omnis generis res spectantes aliquo modo ad præfatas eorum Ecclesias, Capellas, Altaria, Oratoria, Sacristias, extra illa, ad vsum, vel officium cæterorum distrahi, asportari, seu alijs, ab ipsis Minoribus Obseruantibus, commodari, quin prius accesserit consensus saltem vltra duas partes totius Capituli cuiuslibet respe-

ctiuè

ctiuè Conuentus, per secreta suffragia singulis vicibus prę-standus, necnon à P. Ministro Prouincię authenticę confirmandus, & ità seruari mandat. Non obstantibus &c. Romæ 14. Martij 1680.

G. Card. Carpineus.

Locus † sigilli.

Io. Baptista Archiep. Ianuen. Secr.

Decretum, quo Sacra Rituum Congregatio concedit Fratribus, & Monialibus Minorum Obser. vt celebrare possint die 4. Septembris festum S. Rosæ Viterbiensis sub ritu duplicis secundæ classis cum octaua.

Ordinis Minorum Obseruantium S. Francisci.

SVpplicante P. Celso Maria Billò de Senis Commissario Generali Romanæ Curię Minorum Obseruantiū; quatenùs Sacra Rituum Congregatio dignaretur concedere, vt in festo Sanctę Rosę Virginis Viterbiensis Tertij Ordinis S. Francisci, quod celebratur die quarta Septembris, fieri possit officium eiusdem Sanctę sub ritu duplicis secundæ classis, cum octaua, in tota Religione Franciscana. Et eadem Sacra Congregatio gratiam desupèr petitam benignè concessit pro Fratribus, & Monialibus Minorum Obseruantium tantùm. Hac die 6. Aprilis 1680.

Pro Eminentiss. D. Cardinali Fachenetto Præfecto
Nicolaus Cardinalis Ludouisius.

Locus † sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congreg. Secret.

LAVS DEO.